

**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus, Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus, apprimè utile ...

In qua præter Supplementum Formularum Fori extrajudicialis, accesserunt quamplures Formulæ Fori contentiosi, necnon nonnullæ litteræ Pastorales non minùs utiles, quàm necessariæ gubernium Ecclesiasticum assumentibus, ab eodem Auctore annotationibus auctæ, sacræ paginæ oraculis, & Sacr. ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1707

Ad Deiparam Virginem Mariam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62423](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62423)

A D D E I P A R A M
VIRGINEM MARIAM.



MATER DEI , & hominis , & MATER rei ,
& Judicis , & MATER Regis , & exulis ,
suscipte opus , quod suppetiis tuis completum
est : suscipte obsequii mei exiguum munus :
& si quid dignum laude scripsi , propitia re-
spice : & quod calamus infirmum protulit ,
clementer eleva . Tu pia allisisti me , & funes ceciderunt mi-
hi in præclaris ; quoniam protectio tua est magna nimis . Ecce
reddo tibi Vota mea , & benedicam Dominum , qui tribuit
mihi intellectum , ut possim laudare TE : At quis poterit te
digne

a 2

digne laudare & nemo , nisi ipsum dignum faciat ille qui habitavit in utero tuo . TU es illa quam benedicunt omnes generationes ; quia omnibus generationibus vitam , & gloriam genuisti : in te enim Angeli laetitiam , Justi gratiam , Peccatores veniam iuueniunt . Gaude igitur prodigium Domini , quia in Conceptione tua ceteris sublimior evasisti , & ut immunis Columba in sublimem collem Divinæ essentie evolasti . Gaude festivitas Cœli , quæ de igne Divino succensa , ut Areola fumi ad Cœlum ascendisti , & Divinæ effusionis dulcedine pabulata flores Virgineos vorasti . Gaude aquaductus gratiæ , quæ in visione Deitatis clara de sinu Patris ut Apis favum mellis Verbum suxisti . Gaude languentium medicina , quæ in tempore illo , in quo nasciturus in Mundum Salvator erat , divinorum arcanorum admiratrix fuisti , & dum fortior in ipsum Dei Patris sinum trahebaris , vagitus Filii te in terram traxit . Gaude Divini amoris favilla , quæ in ipsa nocte in qua Salvator parvulus ad Patrem oravit , ut fulgur ad Cœlum ascendisti , ubi pretium redemptionis cognitum pro Animarum salute proprium Filium gratis obtulisti . Age Virgo Dei Genitrix immaculata , accipe has paginas , quas pro tui nominis gloria , & Präfulum utilitate demississime provolutus offero , & sis quæso mihi , & invocantibus nomen sanctum tuum apud Filium quem peperisti perpetua Interventrix . Amen .

Indignus famulus , & Capellanus
Presbyter Franciscus Monacelli .

BENE